

*manere*, quid ad te? » atque ita veteres Patres legebant. Scilicet postquam Christus violentam Petro mortem praenunciasset (v. 18, 19) cum ille praepropera curiositate de Iohannis futuris sortibus percontaretur eam Christus retundit responsione illa: si eum volo manere, id est absque violenta morte in mundo agere, donec veniam, nempe vel usque ad excidium Hierosolymae, vel usque ad finem mundi, si, inquam, id vellem quid ad te? tu me sequere; scilicet tu negotium tuum age, et officium tibi commissum imple, de caeteris curam mihi relinquens.

Et haec satis de specialibus N. T. partibus ab adversariis critice impugnatis.

## ARTICULUS II.

DE LIBRORUM N. T. CONSERVATIONE ET INTEGRITATE  
QUATENUS IN VERSIONIBUS CONTINENTUR.

*Praenotanda.* — Libri N. T. mature admodum coeperunt in varias linguas converti: prout nempe variae gentes Christi fidem recipiebant singulae sua lingua Scripturam legere cupiebant atque ita paulatim factum est, ut omnis lingua confiteretur Dominum Iesum Christum, et quod in die Pentecostes Apostolis contigit perpetuum ac perenne in Ecclesia fieret, ut nempe unusquisque audiret lingua sua illos loquentes. Verum in tanta versionum multitudine ac varietate divisio aliqua facienda est. Non enim omnium par est auctoritas vel usus. Itaque distinguendae sunt

1° Versiones antiquae a versionibus recentioribus seu vulgaribus: primae illae linguis antiquis nunc demortuis conscriptae sunt, nec primario et immediate pro usu privato fidelium, sed potius pro publico Ecclesiarum usu in Liturgia destinabantur. Recentiores vero versiones privato fidelium usui destinatae variis linguis hodie viventibus seu vernaculis constant. Qua in re notatu dignum est quanta veneratione Ecclesia primas illas versiones semper retineat. Nam apud omnes fere gentes factum est ut populi lingua decursu temporis immutata fuerit, ita ex. gr. nos Latinam in Italicam immutavimus, Syri, Chaldaei, Aegyptii suam linguam in Arabicam, Arabes ipsi antiquum dialectum in recentiorem diversam, et ita reliqui. Ecclesiastica tamen et liturgica lingua immutata non est, et

in publico Ecclesiarum usu vetustae illae versiones sacrae Scripturae manserunt. Ex quibus apparet duplici ex causa primae classis versiones praefendas esse recentioribus, primo scilicet critice ob earum antiquitatem, sub quo respectu antiquiorem textum statim repraesentant: secundo theologice ob Ecclesiae explicitam vel implicitam approbationem.

2° Distinguendae sunt versiones *mediatae* ab *immediatis*. Immediatae dicuntur quae directe ex ipso originali textu derivantur: mediatae vero quae ex aliqua textus versione, puta ex vulgata latina depromptae sunt. Unusquisque videt in criticis quaestionibus maius esse pondus versionis immediatae, quam mediatae.

3° Versiones distingui solent in *Occidentales* et *Orientalis*, quatenus scilicet pro Ecclesiis sive Orientis sive Occidentis, et diversis utriusque Ecclesiae linguis exaratae sunt.

Hisce breviter praemissis, contendimus Novum Testamentum integrum et incorruptum servari in versionibus ab Ecclesia probatis ita ut etiamsi textus originarius periret, Ecclesia nihil de thesauro Verbi Dei amitteret. Quoniam vero recentiorum versionum auctoritas fere nulla est, hinc pauca tantum de istis in fine dicemus, praecipue vero de antiquis disputabimus, et quidem distincte primum de Occidentalibus, tum vero de Orientalibus.

### §. I. De versionibus Novi Testamenti Occidentalibus, inprimis de Vulgata Latina.

Versiones Occidentales N. T. plures sunt: Latina scilicet, Gothica, Anglo-Saxonica etc. Ex omnibus tamen latina versio, quae *Vulgata* dicitur praecipuum tenet locum, tum ob summam eius antiquitatem, tum ob constantem totius Ecclesiae Occidentalis usum, denique ob solemne Concilii Tridentini decretum, quo eadem versio probata, et *authentica* declarata est. — De hac igitur in primis loquimur, pauca de reliquis postea dicturi.

A. *Vulgata Latina.* — Antequam vero huius versionis valorem expendamus quaedam historice de eius origine et fati praemitenda sunt.

I. Usque a primis Ecclesiae temporibus in Occidente plures extitisse versiones *latinas* apparet tum ex facto ipso quod Latini Patres diversa ratione Scripturam allegant, tum ex veterum testimo-



nis, ex quibus S. Augustinus in lib. II de Doctr. Christ. cap. 11 scribit: « Qui Scripturas ex hebraica in graecam verterunt linguam numerari possunt, latini vero interpretes nullo modo. Ut enim cuiquam primis fidei temporibus in manus venit Codex Graecus, et aliquantulum facultatis sibi utriusque linguae habere videbatur, ausus est interpretari. » - Quod quidem de utroque Testamento intelligendum est. - Id etiam expresse notavit S. Hieronymus in Praefatione in quatuor Evangelia ubi de pluribus N. T. interpretibus loquitur: « Si autem, inquit, veritas est quaerenda de pluribus, cur non ad graecam originem revertentes ea quae a vitiosis interpretibus male reddita sunt... corrigimus...? Neque ego de veteri disputo instrumento..... de N. T. loquor, quod graecum esse non dubium est. » Et alibi etiam conqueritur quod apud Latinos *tot sint exemplaria quot codices* (Praef. in Ios.). Nonnullis quidem visum est laudata testimonia non de diversis interpretationibus intelligenda esse, sed potius de variis unius eiusdemque versionis editionibus seu recensitionibus, quae in diversis locis factae fuerint, quemadmodum contendit Sabatier, quem sequitur Card. Wiseman et recentius cl. Vercellone. At longe probabilius videtur diversas revera fuisse interpretationes: nam id videntur significare veterum testimonia in suo obvio sensu accepta, et discrepantiae apud Latinos Patres occurrentes, quae plus aliquid praeseferebant, quam meram editionum varietatem.

Quidquid vero sit de hac quaestione certum est inter varias illas seu versiones seu editiones latinas unam semper fuisse caeteris praestantiorum, cuius usus magis probatus, magisque universalis semper extitit. Hanc versionem Augustinus *Italiam* appellat in citato lib. II de D. C. cap. 43 inquit: « In ipsis vero interpretationibus *Itala* caeteris praefertur: nam est verborum tenacior cum perspicuitate sententiae. » Hieronymus illam *vulgatam* appellat in cap. XIV, 46 Isaiae, et *veterem editionem*, seu *translationem* in Epist. 49 et 57 (to. XXIV. Patr. lat. 512, 577); Gregorius etiam in praefatione ad libros *Moralium veterem* vocat.

Quaeri potest primum quo tempore, quo loco, quibusque auctoribus haec versio prodierit, quae tamen certo definiri non possunt.

Quod pertinet ad aetatem, hoc saltem certum est vel primo desinente saeculo, vel secundo ineunte hanc versionem confectam fuisse: Augustinus enim loco cit. cap. 11 latinas versiones dicit pri-

*mis fidei temporibus* apparuisse, Hieronymus autem (contra Rufinum l. II) hanc *nascentis Ecclesiae fidem roborasse* dicit. - De loco autem non consentiunt critici. Plures ex iis, quibus accessit Card. Wiseman, in Africa eam versionem prodidisse arbitrantur, eo praesertim moti argumento quod styli ratio, idiotismorum indoles, vocabula quaedam archaica proprium Africanorum loquendi modum referant. Plerique vero Italiae regionibus eam acceptam referunt, ducti praesertim nomine Italiae, quod antiquitus illi inhaesit. Utraque sententia fortasse simul componi potest si dicamus cum cl. Vercellone (1) auctorem Italiae Africanum fuisse hominem (2), versionem tamen non in Africa sed in Italia fuisse confectam, fortasse etiam Romae, vel saltem Romanorum Pontificum iussu. Sane omnes norunt temporibus Romani Imperii literatorum turbam ex omnibus provinciis Romam convenisse, et nota sunt plurium scriptorum nomina, qui ex Africa oriundi Romae floruerunt. Ex alia vero parte probabile non est Romanam Ecclesiam latina liturgia diu carere voluisse, quamvis enim Romani passim graece scirent, latina tamen erat propria eorum lingua: aliunde etiam notum est Romanam liturgiam a remotissima aetate descendere, quinimo ab ipso Petro Apostolorum principe, ut testatur Innocentius I. Si vero liturgia latina cura Romanorum praesulum inducta est, necessarium ad hoc erat ut latinam S. S. versionem conficiendam curarent, quae quidem opera extranei cuiusdam scriptoris prodire potuit. Quisnam autem auctor ille fuerit, et utrum unus fuerit vel plures ita obscurum mansit, ut impossibile sit etiam probabili aliquo argumento id definire. Versio haec complectebatur cum Vetus, tum Novum Testamentum utrumque ex Graeco derivatum, scilicet V. T. ex Versione  $\tau\omicron\upsilon\upsilon$  Septuaginta, N. T. ex ipso originario Textu.

II. Versio Itala communi Ecclesiarum usu recepta decursu temporis in innumeris exemplaribus longe lateque disseminata est: in

(1) In dissert. cui titulus: *Frammenti dell'antica Italia scoperti in un codice Vaticano, quae est numero secunda inter Dissertazioni accademiche di vario argomento*. Romae 1864.

(2) Alii vero recentiores critici considerantes styli Italiae valde incomptum, et solocisismis scatentem opinantur eius auctorem latinum hominem non fuisse, sed Graecum, vel Orientalem qui latinam linguam ex usu plebis didicerat. (V. Kaulen: *Geschichte der Vulgata* §. 140, 141, et *Einleitung* §. 112.)



tot vero successivis transcriptionibus illud paulatim accidit quod in caeteris antiquis libris fieri solet, ut nempe plures defectus et mendas contraheret, de quibus veteres Doctores conqueruntur. Augustinus, qui ut vidimus Italiam caeteris praeferebat, in cit. lib. cap. 14 affirmat: « Codicibus emendandis primum invigilare debet solertia eorum qui scripturas divinas nosse desiderant. » Acrius de eodem incommodo queritur Hieronymus in sup. cit. praef. in Evang. ubi etiam causas corruptionum assignat, scilicet interpretum vitiositatem, emendatorum licentiam, librariorum oscitantiam. Cum igitur eo res devenisset, de remedio huic malo afferendo cogitari coepit. Quid vero de Veteris Testamenti versione factum fuerit alio loco dicemus. Interim historiam versionis N. T. prosequemur. Itaque S. Damasus R. P. consilium suscepit antiquam illam versionem expurgandi et ad pristinam puritatem revocandi eiusque operis perficiendi onus imposuit S. Hieronymo presbytero, quo nemo peritior in S. S. scientia tunc aderat. Praecepto obtemperat Hieronymus non sine magna trepidatione, cuius causas ingenue aperit in cit. praef. super Evang. ad eundem Damasum: « Novum opus, inquit, facere me cogis ex veteri, ut post exemplaria Scripturarum toto orbe dispersa, quasi quidam arbiter sedeam, et quia inter se variant, quae sint illa quae cum graeca consentiant veritate decernam. Pius labor sed periculosa praesumptio iudicare de caeteris ipsum ab omnibus iudicandum, senis mutare linguam, et canescentem mundum ad initia retrahere parvulorum. Quis enim doctus pariter vel indoctus cum in manus volumen assumpserit et a saliva quam semel imbibit, viderit discrepare quod lecitat, non statim irrumpat in vocem me falsarium, me clamans esse sacrilegum, qui audeam aliquid in veteribus libris addere, mutare, corrigere? Adversum quam invidiam duplex causa me consolatur; quod et tu, qui summus sacerdos es, fieri iubes, et verum non esse quod variat etiam maledicorum testimonio comprobatur. » Hisce tamen non obstantibus opus absolvit S. Doctor circa annum 383. Quamvis autem citata praefatio de quatuor tantum Evangelii loquatur, certum tamen est integrum N. T. ab eo fuisse correctum ut ex eius testimoniis clarissime apparet: nam in ep. 52 alias 71 quae est ad Lucin. ait: « Novum Testamentum graecae reddidi auctoritati; » idemque repetit in ep. 27 ad Marc. et in fine Catalogi ubi de suis

scriptis modeste loquens ait: « Novum Testamentum graecae fidei reddidi, Vetus iuxta hebraicam transtuli. »

Quod pertinet ad methodum, quam Hieronymus in sua correctione sequutus est, duo notanda sunt. Primo scilicet eum non ex antiquiorum latinorum exemplariorum collatione, sed potius ex graecis codicibus, et quidem antiquioribus Luciani et Hesychii recensione, latinam versionem correxisse: ex quo apparet eum non solum a librariorum aut emendatorum erroribus illam expurgasse, sed etiam ea quae ab originario interprete minus accurate versa fuerant in melius adduxisse. Alterum quod notandum est non omnia prorsus a Hieronymo correctae fuisse quae corrigi potuissent, sed ea tantum quae graviora visa sunt. Duo haec ex eius verbis in cit. praef. colliguntur: postquam enim animadvertit se Graecos codices a Luciano et Hesychio nuncupatos praetermississe, addit: « Igitur haec praesens praelatinnula pollicetur quatuor tantum Evangelia... codicum graecorum emendata collatione, sed et veterum. Quae no multum a lectionis latinae consuetudine discrepare ita calamo temperavimus, ut his tantum, quae sensum mutare videbantur, correctis, reliqua manere pateremur ut fuerant. »

Haec Hieronymi recensio vel editio N. T. latini, quemadmodum ipse praeviderat, plures nacta est adversarios, quae quidem oppositio partim causis illis ab eo commemoratis tribuenda est, partim etiam fortasse morti Damasi, quae statim anno 384 subsecuta est, quapropter nova editio tam valido destituta patrocinio, obtractatorum accusationibus patuit nec statim ab Ecclesiis recepta est. Interim vero multi ex sapientioribus Doctoribus meritum Hieronymiani operis agnoverunt, et novam recensionem libenter susceperunt, quos inter praecipue memorandus est Augustinus, qui licet vehementer adversatus fuerit novae Hieronymi versioni V. T. recensionem tamen novi Testamenti statim suscepit, ut ex eius epistola ad Hieronymum (ep. 10 n. 4) atque huius ad eum responsione (ep. 14) apparet. Paulatim vero defervescente animorum aestu caeteri quoque Episcopi atque Ecclesiae opus illud receperunt, ita ut vetus Itala ante-Hieronymiana in desuetudinem abierit, ac inde a saeculo VII. Hieronymiana editione generaliter omnes Ecclesiae uterentur (1). Semel autem suscepta Hieronymiana edi-

(1) Antiqua Itala prout erat ante Hieronymi recognitionem adhuc superest in nonnullis codicibus mss. quales sunt ex. gr. pro *Evangeliiis* Codd.



tio numquam a Latinis dimissa est, et haec ipsa est editio qua nunc utimur sub nomine vulgatae Hieronymianae, vel *Vulgatae simpliciter*. Hoc quidem ex subsequenti historia clarius apparebit: interim vero sufficiat innuere 1° argumentum, quod ex codicum collatione verificatur: cum enim plures extent codices Hieronymianae vulgatae paulo post Hieronymum exarati, ut ex. gr. Amialinus, Foroiuliensis et Fuldensis, isti omnes eandem cum nostra versionem continere deprehenduntur. 2° Alterum argumentum quod exurgit ex collatione illorum locorum, quos Hieronymus in suis commentariis vel epistolis affirmat se in antiqua versione correxisse: istae enim correctiones in Vulgata nostra leguntur (1).

Ex dictis apparet Vulgata nostram latinam, quod pertinet ad Novum Testamentum, nihil aliud esse nisi veterem Italam a Hieronymo tamen emendatam et expolitam. De hac igitur versione sit

THESIS XIV.

*Vulgata latina omnes libros Novi Testamenti integros atque incorruptos continet.*

Post demonstratam integritatem graeci textus maxime obvia Theseos demonstratio confici posset ex comparatione Vulgatae Latinae cum eodem textu, ex qua apparet eam cum illo in omnibus

Vercellensis, Veronensis, Corbeiensis, Colbertinus, pro *Actibus* Codd. Laudianis, et Cantabrigensis, pro *Epistolis* Codd. Claromontanus, Sangermanensis, Boernarianus. Haec quidem de N. T. tantum: nam ex V. T. nonnisi partes, et fragmenta quaedam Italae supersunt, de quibus alias.

(1) Ita ex gr. Mt. II, 6 antiqua versio legebat: « et tu Bethleem terra *Judaeae* », Hieronymus comm. in hunc loc. legi vult *terra Iuda* — Rom. XII. 11 Itala legebat: *tempori servientes*, Hieronymus corrigit: *Domino servientes* (epist. ad Marcellam) — 1 Cor. VII, 34 legebatur: « *Divisa est mulier et virgo* », Hieronymus in lib. 1. adv. Iov. corrigit: *mulier in-nupta et virgo*. — Gal. II, 5 « *quibus ad horam cessimus* », Hieronymus in comment. h. l. « *quibus neque ad horam cessimus* ». — Ephes. I, 14 « *Qui est pignus hereditatis nostrae in redemptionem adoptionis* », Hieronymus in comment. legit: « *in redemptionem acquisitionis* ». — 1 Tim. I. 15 « *humanus sermo* », Hieronymus in epist. ad Marcell. « *fidelis sermo* ».

Porro istae et aliae permultae Hieronymi correctiones in nostra Vulgata omnes occurrant.

convenire quoad substantiam. Verum aliam viam inire praestat, ne scilicet integritas Vulgatae ab integritate textus hodierni omnino pendere videatur, cum tamen Concilium Tridentinum Vulgatae ipsam *cum omnibus suis partibus* solemniter probaverit (Sess. IV) non quidem ex eius collatione cum hodierno statu textus, sed ex aliis independentibus rationibus, ob lectionem scilicet et publicum per tot saecula Ecclesiae usum.

Thesim igitur sequenti ratione ostendemus.

Si probatum fuerit I. Vulgatae latinam cum ex Hieronymi manibus et calamo prodit, originarium textum integrum bene repraesentasse; II. si insuper constet a Hieronymi aetate usque ad nos eandem versionem ita conservatam esse ut, exceptis nonnullis levioribus immutationibus, in eodem prorsus statu permanserit ac erat ab initio, eo ipso constabit Vulgatae latinam, qua nunc utitur Ecclesia, libros omnes N. T. integros atque incorruptos continere.

Atqui duo haec certa omnino sunt. Ergo.

I. Quod initio Hieronymiana Vulgata Novum Testamentum integrum fideliter repraesentaret ex eo apparet quod 1° antiqua Itala etiam ante Hieronymum, non obstantibus eius defectibus sive interpretis, sive librariorum, bona tamen versio erat, et Sacram Scripturam quoad substantiam integre, et fideliter referebat, 2° Hieronymus autem illam a praecipuis defectibus expurgavit et ad longe meliorem statum adduxit. — Primum ostenditur duplici argumentorum genere: scilicet ex Patrum testimoniis, et ex usu universali Ecclesiae. Patres unanimes sunt in laudanda Itala, eaque caeteris versionibus praeferenda: ex his Hieronymus ait illam *nascentis Ecclesiae fidem roborasse*; Augustinus autem in cit. lib. II de Doctr. Christ. cap. 15 affirmat eam caeteris versionibus praefendam esse ob intrinsecum eius valorem « nam est, inquit, verborum tenacior cum perspicuitate sententiae » scilicet ob fidelitatem, et claritatem, quae sunt duae praecipuae dotes bonae versionis. Idem vero certus apparet ex publico Ecclesiae testimonio. Hac enim versione universa latina Ecclesia usque ad Hieronymum usa est: haec versio legebatur quotidie in sacris Christianorum conventibus; haec in Liturgia et divinis officiis canebatur; hanc sacri Doctores in homiliis explicabant plebi fidelium; hanc in suis commentariis exponebant; huius testimonii fidei dogmata demonstrabant ac haereses refellebant. Iam vero publicum hoc et universale Ecclesiae Latinae testimonium satis



superque demonstrat versionem illam nullam substantialem et gra-  
vis momenti corruptionem praesentasse, et originalem textum satis  
fideliter repraesentasse. Testimonia autem Hieronymi superius al-  
lata non de gravioribus Italae vitiis, sed de levioribus, tantum de-  
fectibus ac praesertim de brevibus glossis explicativis, quae huc  
illuc in versionem irrepserant, intelligenda esse patet, quemadmo-  
dum alio loco innuimus, tum ex ipsis eius verbis (in praef. ad  
Evangelia) recte perpensis, tum praesertim ex eius agendi ratione:  
cum enim ad correctionem ventum est, non nisi leviora quaedam  
resecuit, vel mutavit. — 2<sup>o</sup> Quoniam vero negari non potest multa  
huius generis vitia in Italae versione ante Hieronymum extitisse,  
hinc secundo dicimus ea per S. Doctorem maxima ex parte sub-  
lata fuisse, ipsamque versionem non solum a librarium erroribus  
expurgatam, sed etiam multo meliorem effectam. Hoc autem appa-  
rebit si demonstraverimus S. Hieronymum et necessariis dotibus  
instructum fuisse ad opus correctionis rite perficiendum, et assi-  
due, diligenterque in eodem opere versatum fuisse. Quae duo ex  
historia certissime constant. Quod enim pertinet ad dotes inter-  
pretis hae praecipue revocantur ad *scientiam* tum *linguarum*, ex  
quibus et in quas versio fieri debet, tum *rerum* de quibus liber per-  
tractat, de cuius versione agitur. Porro multiplicem hanc scientiam  
atque eruditionem cumulatissime in Hieronymo fuisse tota antiqui-  
tas testatur, ita ut interpretationi SS. Librorum perficiendae nemo  
illo aptior inveniri potuerit. — Ad scientiam linguarum quod attinet,  
Hieronymum latinam, graecam et hebraicam linguam calluisse no-  
tissimum est. De latina enim et graeca quae ad editionem perficien-  
dam praecipue requirebantur, testes sunt eius libri, epistolae et  
commentarii, testis est et ipse Hieronymus, qui in classicae lite-  
raturae studio per excessum potiusquam per defectum se peccasse  
fatetur. Hebraicae vero notitiam, quae ad graecam dialectum N. T.  
intelligendam plurimum juvat, S. Doctor ex sapientissimis Hebraeo-  
rum magistris longo et pertinaci studio hausit, ut ipse testatur in  
ep. ad Rusticum monachum, in ep. ad Pammachium et Oceanum  
et in praefationibus in Dan. in Iob et in Paralip. Hanc denique  
laudem Hieronymo concedunt antiqui omnes, ex quibus S. Prosper  
notissimum illud elogium de Hieronymo cecinit:

« Hebraeo simul, et Graeco Latioque venustus  
Eloquio, morum exemplar, mundique magister. »

et August. in l. I contra Iovin. « Hieronymus, inquit, presbyter  
graeco, et latino, insuper et hebraeo eruditus sermone; hic omnes,  
vel pene omnes qui ante illum ex utraque parte orbis de doctrina  
Ecclesiastica scripserunt, legit. » Ad scientiam autem rerum bib-  
licarum quod attinet, incredibilis pene fuit Hieronymi eruditio, ut  
vel sola epistolarum et commentariorum eius lectio cuique per-  
suadere potest. Quare mirum non est Ecclesiam eum in Scriptu-  
ris exponendis Doctorem Maximum usque ab remotissima aetate  
salutare. — De dotibus igitur Hieronymi ad opus correctionis rite  
perficiendum idoneis certissime constat. — Quis autem dubitaverit  
S. Doctorem omnem diligentiam atque industriam ad hoc opus  
contulisse? Hoc certe et Damasi Papae iussio ab eo requirebat, et  
ipsa operis difficultas, adversariorum multitudo, hominum praeci-  
dicia eum magis magisque urgebant ut summa diligentia ac indus-  
tria opus illud perficeret, ne quam scilicet accusandi occasionem  
et praetextum cuiquam praerberet. Praeterea in cit. praef. in Evang.  
et alibi de laboribus a se susceptis et de vigilantia qua N. T. ex-  
polivit ipse S. Doctor testatur. — Denique factum ipsum demon-  
strat excellentiam Hieronymiani operis; nam post breve tempus ab  
universa Latina Ecclesia susceptum est, ac vetus editio oblivioni  
tradita. Oppositio autem illa quam initio nactus est Hieronymus  
apud plures Latinos Doctores nedum infirmet valorem eius editio-  
nis eam potius mirifice commendat; quia scilicet tanti eam pretii  
fuisse ostendit, ut de omnibus obstaculis plenissime triumphare,  
et tot doctissimorum hominum oppositionem superare poterit. —  
Stat igitur, quod secundo loco demonstrare volumus, Hieronymum  
et voluisse et potuisse correctionem antiquae versionis recte et  
accurate perficere, ac proinde Hieronymi editionem libros omnes  
N. T. integre ac fideliter repraesentasse.

II. Quod autem Hieronymiana Vulgata a saec. V usque ad no-  
stram aetatem pura atque incorrupta conservata fuerit vel ex eo  
tantum demonstrari posset, quod eius exemplaria paulo post Hie-  
ronymum exarata, ex. gr. codex Amiatinus, a nostris editionibus  
parum aut nihil differunt. Verum praestat hic historice referre



vicissitudines omnes, quas Hieronymiana Vulgata per varias aetates experta est, tum ad biblicam eruditionem, tum etiam ut ex eadem historia constet quanta cura eadem versio ab Ecclesia et sacris Doctoribus semper custodita fuerit. In duas periodos hanc historiam dividemus 1<sup>o</sup> ab aetate Hieronymi usque ad Conc. Trid. 2<sup>o</sup> a Concilio Trid. usque ad aetatem nostram. Haec historia usque ad nostra fere tempora parum nota et multis obscuritatibus involuta fuit, nunc vero in plenissima luce collocata a duobus praesertim nostratibus biblicis scriptoribus cl. P. Ungarelli, eiusque discipulo Carolo Vercellone (1), quos duces in hac historia sequimur.

1<sup>o</sup> Historia vulgatae a saec. V usque ad Concil. Trid. — iam diximus Hieronymianam editionem non quidem statim sed paulo post ac saeculo saltem VII ita ab omnibus susceptam esse ut universam latinam Ecclesiam occuparet. Hinc factum est ut codicum scriptores neglecta antiquiore editione novam vulgatam passim exscriberent, et innumera pene eius exemplaria in vulgus ederent. Cum autem notum sit librorum errores pro exemplarium numero augeri, et cum aliunde notissima sit miseranda litterarum conditio per illam aetatem, nemo mirabitur si circa finem saeculi VIII multa vitia in vulgatae codices irrepererint ac eius corrigendae necessitas apparuerit. Huius correctionis necessitatem pensensit eximius ille Romani Imperii restitutor, et litterarum ac scientiarum patronus Carolus Magnus, eiusque perficiendi munus commisit Alcuino Diacono studiorum in Palatio Imperiali magistro. Emdatio peracta est ab Alcuino (2) non ex textu Graeco, ut putarunt nonnulli, sed ex codicibus latinis antiquioribus ut ostendunt Vallarsius (Opp. S. Hieron. praef. ad to. IX) et Blanchini (Vindiciae canon. script. p. CCCXXXVIII). Fama Alcuini, et Imperatoris zelus effecerunt

(1) P. Ungarelli erudita *prolegomena* scripserat de historia correctionis Vulgatae Latinae, quae primum Romae apparuerunt a. 1837 in *Annali delle scienze religiose* to. IV, postea vero a Vercellone seorsim edita sunt a. 1847 et denique inserta in *Prolegomenis* operis eiusdem Vercellone cui titulus *Variae lectiones Vulgatae Latinae bibliorum editionis r.* Idem vero Vercellone magna eruditione eandem historiam illustrat tum in citatis Prolegomenis tum in variis dissertationibus quae sunt II, III, IV, XVII inter eius *Dissertationes di vario argomento*, quas inferius citabimus. Post laudatos scriptores doctissime, et ceteris copiosius historiam Vulgatae pertextit Fr. Kaulen in sua *Geschichte der Vulgata Moguntiae* 1868.

(2) Ipse Alcuinus in lib. VI Commentar. in Ioh. de hoc testatur.

ut novae recensionis exemplaria statim diffunderentur (Capitul. regum Franc. VI, 227 ap. Güntner p. 81 n. 1) sub nomine bibliorum Alcuini, vel Caroli Magni, ex quibus aliquot supersunt, vel saltem ex iis paulo post diligenter, et eleganter descripta, ex quibus est Cod. Vallicellianus. — At ne tunc quidem librarii cautiore fuerent. Hinc saec. X et XI tam multae variationes irreperant in codd. ut necessarium visum fuerit novam correctionem perficere: hunc laborem non pauci docti ac sancti viri aggressi sunt saec. XI ut Lanfrancus Cantuariensis (Patrol. Lat. Migne to. CL. col. 85, 94), Petrus Damiani (to. CXLV col. 334), Francus scholasticus (to. CLX col. 585) Olpertus (ib. col. 623) Gondulphus (histoire litteraire de la France to. VII, p. 118, to. IX, p. 374); itemque sequente saec. XII Stephanus Abbas Cisterciensis (Patrol. Lat. CLXVI col. 1373) histore litter. to. IX p. 123) Nicolaus Diaconus, Dunstanus Cantuar. (Patrol. Lat. to. CXXXVII col. 443) alique nonnulli. Verum horum correctiones utpote privata auctoritate susceptae, et sua quaeque methodo confectae parum diffusae sunt, nec sufficiens remedium malo attulerunt (1). Quare saec. XIII Universitates et familiae religiosae cogitarunt de aliqua correctione systematica faciendi, quod et praestiterunt conficientes sic dicta *Correctoria*.

Sunt autem *Correctoria* codices Latinae Vulgatae cum amplo margine in quo adnotatae leguntur variantes lectiones ex codicibus tum Alcuini tum etiam antiquioribus desumptae, itemque breves ex operibus Patrum et textu originario observationes, cum iudicio etiam de lectionum valore hisce verbis (Correct. Sorbon.): *est de textu; non est de textu: vera est litera, falsa est litera*, aut aliis similibus. — Primum Correctorium prodidit ab Universitate Parisiensi circa a. 1230 affirmant nonnulli, sed hoc negat P. Vercellone (Dissert. *Dei Correctorii biblici della Biblioteca Vaticana*), et contendit Correctorium sorbonicum posterius esse pluribus annis Correctorio Dominicano, quod scilicet Fratres Praedicatorum Parisiis confecerunt a. 1236 iussu et directione Hugonis a S. Caro, ac postea novis curis reformatum et auctum iterum ediderunt a. 1256, atque omnibus suae familiae religiosis iniunxerunt ut illud, priori abrogato, reciperent; eoque usi sunt laudatus Hugo, Albertus M., S. Thomas

(1) Id constat ex testimoniis Nicolai Diaconi et Bibliothecarii S. Eclesiae, et Hugonis a S. Victore apud Vercellone dissert. cit. pag. 48.



aliquae. — Aliud Correctorium quod Robertus Stephanus aliquae Sorbonicum appellarunt, P. Vercellone tribuit anonymo cuidam, de quo Rogerus Bacon loquitur (Opus maius ed. Lond. 1733 p. 50). — Aliud Correctorium adornarunt Franciscani, aliud Chartusiani. — Horum labores valde commendandi non parum utilitatis attulerunt, sed universale et efficax remedium constituere non poterant, praesertim quia suprema Ecclesiastica auctoritate destituti (1).

Interim medio saeculo XV invenitur ars typographica; in tanta autem codicum varietate typographi modo unum vel alterum codicem typis edebant, modo, crisi adhibita, ex variis codicibus editionem suam adornare satagebant, ut primus fecit Card. Ximenes in Polyglotta, et Robertus Stephanus in pluribus editionibus 1523, 1528, 1540, 1543 etc. Huius tamen editiones utpote adnotationibus heterodoxis infectae damnatae fuerunt a Parisiensi et Lovaniensi Universitate. Ita res se habuerunt usque ad Concilium Tridentinum.

2° Paulo post celebratur Concilium Tridentinum. In eo Patres statim cogitare coeperunt de uniformi et certa Scripturae lectione Ecclesiae procuranda; nec defuerunt, qui novam latinam versionem perficiendam suggererent (Palavicinius in sess. IV). Sed consultius visum est Patribus antiquam Vulgatam probare et *authenticam* declarare; quod apposito decreto sess. IV fecerunt, simul tamen votum exprimentes, ut haec ipsa vetus Latina versio *quam emendatissime imprimeretur*. Huic voto satisfacere curarunt Theologi Lovanienses, quorum consilio Hentenius adhibita editione Roberti Stephani a. 1540, collatis insuper triginta Mss. Codd. typis B. Graevii primam suam editionem vulgavit Lovanii 1547, quae editio saepius recusa fuit. Mortuo Hentenio Theologi Lovanienses novam recensionem typis emisissent a. 1574 curante praesertim Luca Brugensi, cuius optima habetur editio in fol. a. 1583 qua saepius usi sunt postea Romani Correctores. Verum hae editiones omnium votis non satisfaciebant, neque auctoritate Ecclesiae suprema suffultae prodierant. Itaque rem ad se traxerunt RR. PP. Ac primo Pius IV, qui Concilium Tridentinum absolvit et confirmavit, Congregationem doctorum virorum instituit, qui videntur iidem saltem ex parte fuisse, qui postea sub Sixto V opus impensus prosequuti sunt, scilicet *Card.*

(1) Horum operum codices nonnulli supersunt, vel integri, scilicet textus cum variantibus in margine, vel breviori forma, scilicet solae variantes sine textu.

*Carafa* praeses, Doctores *Laelius* et *Fulvius Orsini*; *Antonius Agellius*, *Robertus Bellarminus*, *P. Morinus*, *Valverda* Hispanus, *Alanus Anglus* (1). — Verum cum hi vellent in antecessum graecam τὸν LXX versionem emendare, hinc huiusmodi labore detenti sub eodem Pio IV, Pio V, et Gregorio XIII, nonnisi sub Sixto V Vulgatae latinae emendandae serio incumbere coeperunt initio a. 1588. Iam comparati fuerant Codices antiquissimi non solum Romae sed in aliis etiam regionibus extantes, inter quos Cod. Amiatinus, Cod. Paulinus, Cod. Vallicellianus, Cod. Toletanus et Legionensis: insuper commissum officium doctis viris plures alios codices consulendi, uti ex. gr. Benedictinis Florentiae et Montis Cassini, qui suorum studiorum fructum et variantum lectionum congeriem Romam miserunt. Congregatio apud Card. Carafa conveniebat: doctissimus Laelius codicum latinorum collationem suscepit, Agellius loca dubia cum textu originario conferebat, seorsim singuli; deinde vero in Congregatione correctiones faciendae discutebantur. Adnotationes apponebantur ad marginem editionis Lovaniensis a. 1583 in fol. Consilium autem Congregationis erat unice ut versio et recensio Hieronymiana ad pristinum statum revocaretur, *talisque prodiret qualis primum ab ipsius interpretis manu styloque prodierat* (Constit. *Aeternus ille*). Sixtus V operi instabat, omnia attente perlegebat, emendationes pro parte admittebat, et pro parte reiciebat, in consilium tamen adhibitis *Fr. Toletus* et *S. I.* postea *S. R. E. Cardinali*, et *Augustino Rocca*. Sub finem a. 1589 novam editionem annuntiavit in Bulla « *Aeternus ille* » ac demum sequenti anno 1590 post duorum annorum laborem typis Vaticanis in lucem emisit, praefixa laudata bulla, in qua exponit quid ipse in hoc opere praestiterit. Pauca tamen exemplaria vulgata sunt. — Data vix in lucem Vaticana editio Vulgatae moritur Sixtus (27 Aug. 1590) cui succedit Urbanus VII post 13 dies defunctus, quem excipit Gregorius XIV (5 Dec. 1590). Hic R. P. cum animadverteret editionem Sixtinam non omnium votis satisfecisse, novam instituit Congrega-

(1) Hi quidem recensentur a M. Ghislerio, ex quo hiansi Ungarelli, sed animadvertit Vercellone alios nonnullos iis addendos esse a Ghislerio omisos ut constat ex coaeorum testimonio, qui nominant etiam *Petrum Ciacconium* et *Petrum Comitolum S. I.*, nec non *D. Antonium Aquinatam* (V. Vercellone in laudatis *Prolegomenis* §. III, pag. XXIII et nota 1 ibid.).



tionem ab initio e sex Cardinalibus et duodecim consultoribus constantem, qui praeferatam editionem ad trutinam revocantes restituerent quae temere fuerat resecata, quae perperam assumpta omitterent, et praecipue rationem haberent editionis Lovaniensis: censoribus dissentientibus res erat ad Pontificem referenda. (Haec cum nominibus Cardinalium et consultorum refert Ungarelli op. cit. p. 171). Gregorius ad opus accelerandum postea numerum censorum minuit: manserunt Ant. Columna et W. Alanus Cardinales, Bart. Miranda, Andreas Salvaner, Ant. Agelli, Rob. Bellarminus, Valverde, Laelius Landius, P. Morinus, et Angelus Rocca Theologiae scientia et linguarum peritia celebres. Verum Gregorius morte abreptus est (15 Oct. 1591) antequam opus absolvi posset; successit Innocentius IX qui vix Sedem Pontificiam adeptus obiit, et suo successori Clementi VIII reliquit gloriam opus correctionis ad finem perducendi. Hic itaque Pontifex adiutus praesertim ab Ang. Valerio, et Frider. Borromaeo Cardinalibus, et Fr. Toletto S. I. correctionis opere absoluto, editionis typographicae curam commisit Aldo Manutio Aldi abnepoti, cuius typographaeum iam ante annos quinque Sixti V iussu in ipsa Bibliotheca Vaticana constitutum fuerat. Is itaque ante finem a. 1592 vulgatam editionem in lucem emisit in foliis iisdem characteribus impressam ac illam Sixti V 1590. Cum vero nonnulla typographica menda adhuc in ea animadvertentur, nonnulla fuerunt correctata in editionibus sequentibus 1593 in quarto, 1598 in octavo, vel quarto minori, quae editio triplicem indicem *erratorum* habet unum scilicet pro editione principe (1592), alterum pro editione 1593, tertium pro ipsa editione 1598, cui affixus est, quos indices ab ipsis correctoribus Pontificiis Angelo Rocca et P. Fr. Toletto prodiisse ostendit P. Ungarelli l. c. §. 24. — Quamvis autem editio sub Clemente perfecta fuerit et prodierit non tamen nomen Clementis praefixum gerebat sed tantum Sixti V his verbis: *Biblia Sacra Vulgatae editionis Sixti V iussu recognita atque edita. Romae ex Typographia Vaticana.* Nomen Clementis coepit primum apponi, ut videtur, ab Antonio Laurent in sua editione Lugduni a. 1673 fol. quae additio exinde communiter recepta est.

Haec igitur est *Vaticana Vulgatae Latinae editio*, quam omnes sequi debent et quam reliquae posteriores editiones repraesentant.

Ex his, quae huc usque diximus consequitur Vulgatam latinam

ab Ecclesia et a Sacris Doctoribus ita vigilanter custoditam fuisse ut numquam permitterent eius exemplaria substantialiter corrumpi, sed levioribus etiam in eam inductis mendis per opportunas correctiones occurrerent, proindeque laudatam versionem praesertim post Pontificias correctiones in Clementina editione integram et incorruptam contineri. Quod ut diximus, facto ipso confirmatur, si scilicet Clementina editio cum Codice Amiatino aliisque vetustis Vulgatae exemplaribus, vel cum Hieronymi commentariis, ubi eadem passim sistitur, comparetur.

Haec interim de Vulgata latina satis esse possunt. De qua rursus sermo erit in sequenti Sectione, ubi de Veteris Testamenti versionibus loquemur. Plura etiam de critico et dogmatico Vulgatae valore dicemus tum ibidem, tum in critica verbali (1).

Nunc pauca de reliquis Occidentalibus versionibus.

B. *Versio Gothica.* — Inter antiquissimas occidentales versiones recensenda est Gothica, quam Ulphilas Gothorum Episcopus circa annum 360 confecit. Ulphilas iste, quamvis semarianismi errore infectus, in quem etiam magnam Gothorum partem pertraxit, qui trans Danubium in Moesia et Thracia sedem fixerant, ingenio tamen et eruditione praestans characteres literarum gothicis invenit, et in veterem illam Gothorum linguam sacros utriusque Testamenti libros transtulit, ut referunt Socrates Hist. Eccl. lib. II, c. 33, et Cassiodorus Hist. tripart. lib. VII, c. 13. — Quod pertinet ad N. T. Gothica versio immediate ex graeco textu derivata est, quae lingua tum Gothicis saeculo quarto, tum praecipue Ulphilae ipsi nota erat, qui plura graece conscripsit: ipsa versionis indoles Graecum textum prodit, cum auctor saepe etymologiae vocum graecarum exprimere conetur gothicis vocabulis, et ipsi aliquando errores versionis explicari non possint, nisi ex similitum verborum graecorum permutatione. — Codices huius versionis huc usque inventi sunt sequentes — 1° *Codex argenteus* ita appellatus quia literis uncialibus argenteis in membrana tenuissima purpurei coloris scriptus est. Continet autem in foliis 188 quatuor Evangelia cum multis tamen lacunis. Codex antiquissimus est sub finem saec. IV vel certe in eunte saeculo V exaratus, et Westphaliae diu asservatus, unde post varias vicissitudines praesertim durante bello triginta annorum in

(1) Obiectiones nonnullae adversus Vulgatam latinam solvuntur a Bellarmino *De Verbo Dei* I. II, c. 14, ad quem lectorem remittimus.



Sueviam migravit, et adhuc in Universitate Upsalensi custoditur: editus autem est a Francisco Junio anno 1665 et ab aliis deinceps. - 2<sup>o</sup>) *Codex Guelpherbitanus* rescriptus, qui fragmenta versionis Gothicae continet: pertinet ad saec. IX. - 3<sup>o</sup>) *Codices Mediolanenses palimpsesti* ab Emo Card. Mai, et ab E. O. Castellione inventi ac vulgati in quibus gothica versio Epistolarum S. Pauli, et fragmenta Matthaei inventa sunt, pertinent autem ad saeculum VIII et IX. De caeteris N. T. libris nihil adhuc reperiri potuit (1).

C. *Versio Anglo-Saxonica*. - Notum est Anglo-Saxones per S. Augustinum aliosque monachos a Gregorio M. in Angliam missos ad fidem conversos fuisse saeculo Ecclesiae VI. Eos versionem N. T. proprio idiomate habuisse antiqui gentis illius historici referunt, quis autem eam versionem confecerit incertum est: supersunt adhuc Anglo-Saxonice quatuor Evangelia quae primum a Parker edita sunt (Lond. 1371), deinde, post alias editiones, coniuncta cum gothicis Evangelis a laudato F. Junio iterum vulgata (Dordrecht 1665).

D. *Versio Slavica*. - Historia Ecclesiastica narrat varias tribus Slavicas saeculo IX fidem suscepisse. Ex his Bulgari et Moravi cum ab Imperatore, missis Constantinopolim legatis, Evangelicos operarios flagitassent, ad eos missi sunt circa annum 863 duo fratres S. Cyrillus (antea Constantinus, cognomine Philosophus), et S. Methodius, qui proinde Slavorum Apostoli appellantur. Hi quidem sancti viri praeter alios Apostolicos labores etiam Scripturae versionem patriae Slavorum lingua conficiendae insudarunt, inventio etiam ad hoc alphabeto quo gentes illae huc usque caruerant. Verterunt autem totum N. T. et etiam libros V. T. vel saltem lectiones liturgicas, et ex eo tempore in divinis officis, annuente Iohanne VIII, gens illa propria Scripturarum versione usa est. Quare versio Slavica in altera parte saeculi IX confecta est: derivatur autem quoad N. T. immediate ex textu graeco iuxta Codices Byzantinos. Saepius haec versio antiquitus edita, recentius Moscoviae a. 1783 apparuit.

Pauca haec sufficiant de huiusmodi versionibus, quarum duae priores integrae non supersunt, neque in ullius Ecclesiae usu amplius sunt: criticae tamen alienius momenti sunt praesertim Gothica,

(1) Omnia versionis Gothicae fragmenta in unum collecta edita sunt a doctis viris H. C. de Gabelentz et I. Loebe (Lipsiae 1843-1846), rursus autem a Migne (Patr. lat. to. XVIII), denique recentius ampliore editionem etiam addito graeco textu curavit Massman Lipsiae 1857.

ut in critica verbali apparebit. Tertia vero seu Slavica adhuc superest, et usui Ecclesiastico inservit. Quare de eius integritate tum ob Auctorum eius doctrinam et sanctitatem, tum ob constantem Ecclesiarum illarum usum dubitare non licet.

## §. II. De versionibus N. T. Orientalibus.

Orientalis N. T. versiones, quae scilicet in Ecclesiis Orientalis ritus in usu fuerunt ac sunt ad sequentes revocantur: Syriacae plures, Aegyptiacae seu Copticae, Armenica, Aethiopica, Persicae et Arabicae; de quibus nunc pauca dicemus.

A. *Versiones Syriacae*. Plures apud Syros versiones occurrunt, ut versio *Phiscito* seu simplex dicta, *Hexaplaris*, *Figurata*, *Philoxeniana*, *Heracleensis*, *Karkaphensis*, *Palaestina* seu Hierosolymitana, *Curetoniana*, versio *Simeonis Abbatis*, et aliae nonnullae. De hac versionum multitudine non parva apud antiquiores auctores etiam Orientales confusio et obscuritasprehenditur. Recenter tamen a literarum Syriacarum cultoribus magna lux huic quaestioni allata est, ex quibus tres potissimum laudabimus, qui de Syriacis versionibus bene meruerunt, scilicet Assemani in celebri *Bibliotheca Orientali* passim, Card. Wiseman in opere: *Horae Syriacae* Romae 1828 et Adler: *N. T. versiones Syriacae* Halae 1789, quibus praeclara de singularibus quibusdam versionibus addita sunt a recentissimis criticis Uhlemann, Bernstein, Wichelhaus, Cureton, Lehir, alisque. Ex horum studiis apparuit imprimis non omnes illas versiones easdem Scripturae partes continere, sed alias solum V. T., ut versio Hexaplaris vel Figurata, vel etiam aliquam tantummodo partem veteris Testamenti, ut laudata versio Simeonis Abbatis, quae solos psalmos continet: alias vero solum N. T. ut versio Philoxeniana et Palaestinensis, deinde plures ex iis aut esse nomina tantum diversa unius eiusdemque versionis, aut tantum diversas eiusdem versionis recensiones. Nos itaque, omissis versionibus quae V. T. unice respiciunt, de versionibus N. T. tantum pauca dicemus, quas quidem ad tres revocamus, scilicet *Simplicem*, *Philoxenianam* et *Palaestinensem*.

1<sup>o</sup> Antiquissima inter omnes Orientales versiones, et maximae auctoritatis est versio Syriaca quae *Phiscito* (ܦܝܫܝܬܘܬܐ) id est *simplex* appellari solet. Haec versio utrumque Testamentum complectitur



et quidem immediate ex textibus hebraico et graeco translatum. De versionis huius auctore disputatur inter eruditos quemadmodum de antiquae latinae versionis auctore fieri vidimus. Omissis quae apud Syros circumferuntur opinionibus de auctore versionis V. T. quem nonnulli aera vulgari multo antiquiorem faciunt, auctorem versionis N. T. de qua nunc loquimur, Syrorum scriptores nominant Addaeum Apostolum, id est S. Iudam Thaddaeum, vel potius eius discipulos, et in specie quemdam Achaeum, quemadmodum apparet ex subscriptione quorundam antiquissimorum huius versionis exemplarium relata ab Assemani in *Bibl. Orient.* tom. II pag. 486, quae ita legitur: « Absolutus est sacer ille liber (Evangeliorum) anno Graecorum 389 (Christi circiter 80) propria manu Achaei Apostoli socii Mar-Maris, discipuli Mar-Addaei Apostoli. » Etiam Bar-Hebraeus, seu Abulpharagius, doctissimus Syrorum scriptor saec. XIII in libro *Dynastiarum*, et in *Horreo mysteriorum* apud Assemani Op. cit. tom. II pag. 130 eidem sententiae subscribit. Quidquid autem sit de huiusmodi opinione critici omnes fatentur versionem istam ab aetate Apostolica, vel ab initio saeculi II descendere: etenim ex una parte constat Syros iam saeculo Apostolico ad fidem Christianam conversos fuisse, ex alia vero parte S. Ephrem mediante saeculo IV versionem istam iam omnibus notam et iamdiu apud Syros communiter receptam supponit. Praeterea usque a saeculo II et III constat lectionem librorum N. T. Syris familiarem fuisse: iamvero si in Occidentali Syria (Antiochena nempe, et Damascena) Graeca lingua populo nota erat, non ita dicendum est de Syria Orientali trans Euphratem, ubi vernacula lingua Syriaca permanserat. Ex quo etiam apparet probabilis versionem nostram in Orientalibus provinciis, Edessena fortasse, originem habuisse. Haec versione Syri orthodoxi semper usi sunt, et adhuc utuntur, quamvis et apud heterodoxos, Nestorianos scilicet, et Monophysitas, in honore sit. Ex pluribus antiquis manuscriptis huius versionis multae editiones adornatae fuerunt, quarum princeps est illa quae a Mose Iacobitarum sectae presbytero, favente Ferdinando Imperatore, Viennae 1533 vulgata est. Postea vero in pluribus aliis editionibus apparuit versio Syriaca praecipue vero in Polyglottis Anglicis, ubi multo accuratius quam in praecedentibus editionibus legitur, et in editione Romana a. 1703 ex codicibus Maroniticis. — In prima illa editione Viennensi desunt epistola 2<sup>a</sup> Petri, 2<sup>a</sup> et 3<sup>a</sup> Iohannis, item

epistola Iudae et Apocalypsis, nec non historia adulterae et versiculus 7<sup>us</sup> Ioh. V. Verum incertum est utrum haec in Versione Syriaca originario defuerint: contrarium enim suaderi videtur ex eo quod Doctores Syri partes illas usque a saeculo IV Syriace allegent, et commententur, et in Liturgia Syriaca antiquissima ab immemorabili aetate legantur. — Anno 1858 fragmenta Evangeliorum Syriaca a Cureton in Anglia vulgata sunt iuxta versionem huc usque in Europa incognitam. Verum constat eam non esse nisi antiquam recensionem versionis Phscito, quemadmodum ipse editor fatetur, et prae ceteris ostendit laudatus Lehir (1).

2<sup>o</sup> *Versio Philoxeniana.* — Initio saeculi VI cum versio simplex apud omnes Syros in usu esset, occidentales Syri Monophysitae seu Iacobitae, qui cum Graecis continuum habebant commercium, et in graeca literatura peritiores erant animadvertere coeperunt versionem illam non semper graecum textum verbaliter reddere ut pro scopo exegetico desiderandum erat. Quare Philoxenus (alias Xenaias dictus) Episcopus Monophysitarum Hierapolitanus accuratorem versionem perficiendam curavit: quae revera a. 508 a Polycarpo Chorepiscopo exarata est, sed a primo eius auctore vel investigatore Philoxeniana appellari coepit. Versio haec N. T. libros una cum Psalterio complectitur, et graecum textum ita verbaliter refert ut etiam graecum articulum, pronomen αὐτοῦ et alia similia contra indolem Syriacae linguae exprimat (2). Plura huius versionis exemplaria manuscripta supersunt, quorum unum prae coeteris accuratum et integrum ex Bibliotheca Ridleyana typis imprimendum curavit D. White Profess. Oxoniensis a. 1778 et seqq. — Initio saeculi VII versio haec Philoxeniana novis curis expolita est a quodam Thoma Charklensi seu Hieracleensi in Palaestina, qui huic operi insudavit Alexandriae in Monasterio S. Antonii, illudque perfecit a. 616, ut ipse refert in testimonio ab Assemani citato (tom. II pag. 93 et 334). Haec est versio Hieracleensis, quae, ut ex dictis apparet, nihil aliud est quam Philoxenianae editio ac recensio. Eius vero fragmenta tantum quaedam residua sunt.

(1) Cfr. eius opus: *Etude sur une ancienne version Syriaque des Evangiles récemment découverte, et publiée par le Docteur Cureton.* Paris 1859.

(2) Constant haec omnia ex testimoniis Orientalium apud Assemani *Bibl. Orient.* tom. II, pag. 10, 53, 83; tom. I, pag. 352; tom. III, pag. 383, parte I<sup>a</sup>.



3<sup>o</sup> *Versio Syro-Palaestinensis.* — In antiquo lectionario Syriaco an. 1030 conscripto inventae sunt lectiones ex quatuor Evangeliiis secundum Dominicas et festa totius anni distributae, iuxta versionem quamdam, quae a duabus praecedentibus diversa omnino apparet, et ratione habita linguae et styli, nec non characterum formae ad Palaestinensem provinciam refertur, ideoque Syro-Palaestinensis, vel Hierosolymitana vocatur. Creditur a saeculo circiter V vel VI descendere.

Quod pertinet ad valorem versionum istarum manifestum est versionem *Phscito* maximi momenti esse, et N. T. libros fideliter referre. Quod quidem apparet 1<sup>o</sup>) ex constanti Ecclesiae Syriacae usu publico et liturgico, et ex veneratione in qua semper habita est sive in Orientali, sive in Occidentali Ecclesia. 2<sup>o</sup>) Apparet etiam ex interno versionis eiusdem examine, quae cum textu graeco, et Vulgata latina ubique cohaeret, et ad sensum difficiliorum locorum illustrandum magno cum fructu consulitur. — *Versio altera*, seu *Philozeniana* auctoritate quidem extrinseca destituitur, utpote quae ab haereticis hominibus confecta fuit: intrinsece tamen cum textu fideliter concordat, ut supra diximus, imo cum textum ipsum verbaliter et pene superstitiose repraesentet, in critica verbali non parvum usum praestat.

Denique tertia illa versio neque integra reperitur, neque in usa Ecclesiastico usquam adhiberi constat: ex ea tamen plura emolumenta percipi posse erudite ostendit Lehir in opere citato.

B. *Versiones Aegyptiacae*, seu *Copticae.* — Aegyptiacae, seu Copticae appellantur versiones quae lingua Coptica exaratae sunt, scilicet antiqua lingua Aegyptiorum cum graecis vocabulis post aetatem Alexandri M. commixta, quae Coptica dici solet. Cum autem huius linguae variae extarent dialecti, variae etiam sunt Copticae versiones. Harum origo ad prima Ecclesiae saecula referenda est. Constat enim usque a saeculo Apostolico, agente praesertim S. Marco Evangelista, qui Alexandrinam Ecclesiam diu rexit, totam Aegyptum ad fidem conversam fuisse. Aliunde etiam constat, excepta provincia Alexandrina, in caeteris provinciis tum superioris tum inferioris Aegypti graecam linguam vulgarem non fuisse. Quare oportebat ibidem in propriam linguam sacram Scripturam convertere pro usu Ecclesiae et fidelium. Confirmatur hoc ex historia Monachorum Aegypti, qui tempore persecutionis deserta illius regionis

praesertim Thebaidos incolere coeperunt. Sane refert S. Athanasius S. Pachomium monachis suis praecepisse ut N. T. et regulae a se praescriptae lectioni sedulo incumbere. Iamvero regula ista Coptice scripta erat, quod ostendit hanc fuisse monachorum linguam, ideoque etiam libros sacros eadem lingua lectos fuisse videtur. Praeterea notum est S. Antonium Pachomii magistrum in sua adolescentia (anno Christi 271) vitam monasticam amplexum fuisse audita in Ecclesia lectione verborum Christi Matth. XIX, 21: iamvero narrat Palladius Antonium graecae linguae ignarum fuisse: quare lectio illa Evangelii ex versione Aegyptiaca fieri debuit. Accedit eundem Antonium in suis scriptis, puta in epistolis ad varia monasteria directis, et in sermonibus ad Anachoretas Thebaidos saepius testimonia Scripturarum adducere, et non exiguum in N. T. interpretando peritiam ostendere. Ex quibus omnibus concludere licet N. T. inde a saeculo III forte etiam a saeculo II in Aegyptiacam, seu Copticam linguam conversum fuisse.

Pro triplici Copticae linguae dialecto tres etiam Copticae versiones in Aegypto extiterunt 1<sup>a</sup> scilicet *Thebaica*, seu *Saidica* pro regionibus superioris Aegypti, 2<sup>a</sup> *Memphitica*, seu inferioris Aegypti, 3<sup>a</sup> denique *Baschmurica*, quam alii *Ammoniacam* appellant, et M. Quatremère *Oasiticam* appellari vult. Ex prima et tertia solum fragmenta supersunt, recentior a doctis viris variis in locis vulgata; ex Memphitica autem integrum superest N. T. quod primo editum est a Wilkens cum versione latina Oxonii 1716.

Si versionum Copticarum antiquitas spectetur, si etiam Ecclesiasticus earum usus, qui adhuc apud Coptos perseverat, consideretur, nemo dubitabit eas accurate sacros libros repraesentare. Internum autem examen, imprimis Memphiticae, quae sola integra superest, docet eam cum optima notae codicibus A. B. C. D. et cum versione Syriaca simplici ubique concordem esse.

C. *Versio Aethiopica* seu *Abyssinica.* — Aethiopice dicitur lingua, quam antiquitus Abyssini loquebantur, et quae in hodiernam dialectum postea mutata est Amharicam dictam (1). Antiqua illa Aethiopica lingua versio S. S. confecta est saeculo Ecclesiae IV probabilis ab Aedisio, et Frumentio, qui cum in Aethiopiam iter susce-

(1) Veterem linguam Aethiopicam, seu Abyssinicam philologi nunc appellare solent linguam *Gheez*, vel *Azymiticam*, et ita ab Aethiopica vulgari distinguunt, quae *Amharica* dicitur.



pissent, ibidem, trucidatis sociis, in captivitate detenti sunt, donec ob sanctitatis et eruditionis laudem principis favorem adepti, et libertate donati, immo etiam in regni administrationem adsciti Christianae fidei causam sedulo promoverunt. Postea vero Frumentius Alexandriam reversus cum S. Athanasium de fidei progressibus in Abyssinia certiorum fecisset, ab eodem episcopus consecratus est; qui Abyssiniam repetens totam illam gentem ad fidem perduxit, et ita Ecclesia Abyssinica fundata est, quae ad ditionem Patriarchae Alexandrini pertinebat. Eodem tempore versio S. S. usibus Ecclesiasticis necessaria lingua Abyssinica confecta fuit, quae quidem quod pertinet ad N. T. immediata versio est ex textu graeco. Versionis huius editio minus perfecta prodit Romae an. 1548-49, quae editio postea in polyglotta Anglica transit, deinde vero accuratius ab Edmundo Castelli cum versione Latina vulgata est Londini 1657, iterum vero a Th. P. Platt sumptibus Societatis Biblicae Londini 1826 singuli vero libri seorsim tum Romae tum alibi saepius apparuerunt, plura tamen eius manuscripta exemplaria in bibliothecis asservantur, ex quibus accuratior editio expectari posset. (1) — Versio Aethiopica ob eius antiquitatem, ob primorum praedicatorum a quibus prodit eruditionem et sanctitatem, denique ob constantem Aethiopiae Ecclesiae usum in magno pretio habenda est.

D. *Versio Armeniaca et Iberica.* — Lingua antiqua Armeniaca, quae ab Armenis ipsis *Haicana* vocatur, antiqua extat versio S. S. quae quidem in V. T. ex versione graeca Alexandrina deducta est, in N. vero T. immediate ex Graeco textu. Huius origo repetenda est a S. Mesrobo eiusque discipulis sub initium imperii Theodosii iunioris circa an. 410. Mesrob iste scientia et sanctitate inter Armenos celeberrimus characteres Armenicos excogitavit, cum usque ad illam aetatem Armeni literis Persicis, Syriacis, vel etiam Graecis suam linguam scribere soliti fuissent. Haec omnia imprimis constant ex Moysae Chorenensi auctore quinti saeculi et Armenorum historiae patre; cuius opus de historia Armenorum doctis Europae viris notum est ex versione latina, quam dederunt fratres Whiston Lond. 1736 et ex italica versione a Mechitaristis Venetis recenter edita curante Nicolao Tomaseo. — Versio Armeniaca, quae a gentis

(1) Hanc quidem adornare coepit Dillmann in literatura Aethiopica facile princeps. Huc usque prodierunt tantum Oskatenus (Libri V. Moys. Ios. Iud. Ruth) Lipsiae 1853, et libri Regum ib. 1871.

illius hominibus ob styli puritatem et elegantiam maxime laudatur, est etiam accuratissima in graeco textu referendo, quod non parum debetur affinitati, quae inter antiquam Armeniacam et Graecam linguam intercedit. Liber Apocalypsis creditur antiquitus defuisse; postea vero additus est, et in omnibus eius editionibus et codicibus invenitur. Primam huius versionis editionem in Europa vulgavit Uscan Armenorum Episcopus vel, ut alii volunt, monachus ex monasterio Uscan, ex praeepto Synodi Armenicae anno 1662, prodit Amstelodami 1668 (N. T. seorsim). Cum tamen huiusmodi editio omnium votis non satisfacisset, et iuxta Vulgatam latinam in multis locis refecta crederetur, aliam editionem curarunt Armeni Constantinopoli 1705; deinde vero Armeni Mechitaristae qui prope Venetias sedem habent, accuratiorum dederunt editionem, quae apparuit Venetiis 1789, et iterum 1816. Prae caeteris vero notata digna est *magna editio critica*, quam isti curante imprimis Zohrab Armenorum doctore adornarunt an. 1803, quae editio ex septuaginta circiter antiquis codicibus expressa est, additis praefationibus, variantibus lectionibus etc. haec editio iterum impressa est sine variantibus lectionibus a. 1852; optima vero eius editio apparuit a. 1839. — Versio Armeniaca a criticis maxime laudatur, immo a nonnullis, ut La Croze, *regina omnium versionum N. T.* vocatur; in quo siquid exaggeratum est. minime tamen dubitamus eam ob intrinsecum et extrinsecum simul valorem statim post Syriacam simplicem collocare.

Extat etiam versio *Iberica*, seu *Georgiana* quae in Iberia (nunc Georgia) exarata est: cum enim in ea regione quae Armeniae vicina est, usque a tempore Constantini Magni plures essent Christiani fideles, eorumque numerus, agente praesertim supra laudato Mesrobo, valde auctus fuisset, idem Mesrobis eorum utilitati consulens, characteres invenit Georgianos, et gentem illam ad versionem SS. LL. faciendam excitavit, quae tamen non nisi sequente saeculo VI perfecta est, et adhuc extat.

E. *Versiones Persicae.* — In Perside Christiana religio aevo ipso Apostolico, et probabilis per ipsos Apostolos stabilita est. Initio quidem Christianis illius regionis versio Syriaca fortasse sufficere poterat, cum sciamus Edessae scholam Persicam erectam fuisse ad hunc finem ut Persae, imprimis clerici, in Syriaca literatura instituerentur. Verum propagata Christiana religione per interiores Per-



siae provincias, ubi usus Syriacae linguae minor erat, probabile sane est aliquam saltem N. T. versionem Persica lingua confectam fuisse. Et revera S. Iohannes Chrysostomus in hom. 2<sup>o</sup> in Iohan. ad versionem Persicam appellat. Attamen huiusmodi antiqua versio ad nos non pervenit. Habent vero Persae alias versiones, quarum una legitur in Polyglottis Anglicis tom. IV impressa iuxta manuscriptum Ed. Pocockii an. 1314 exaratum, quae certe saeculo VIII antiquior non est, nec est immediata versio, sed ex Syriaca derivata, nec integrum N. T. sed Evangelia tantum complectitur. Altera etiam Persica versio ex Graeco textu confecta vulgari coepit a Whelock Lond. 1632 eiusque editio absoluta est a Pierson Lond. 1637. - Haec etiam quatuor tantum Evangelia continet, et est priore multo recentior. - Utraque versio, ut ex dictis sequitur, parvi momenti et exiguae auctoritatis est.

F. *Versiones Arabicae.* - Usque a saec. III. in Arabia Septentrionali plures Christiani florebant, quorum numerus postea auctus est a Saracenis, quorum multi ad Christum serius conversi sunt. Quamvis Graeca lingua in Arabia ignota non esset, plebs tamen graecae nesciebat, quare versio aliqua S. S. in Arabicam linguam necessaria videbatur. Itaque creditur iam saeculo IV quatuor Evangelia Arabice reddita fuisse, serius autem etiam reliqui N. T. libri in Syria et in Aegypto conversi sunt, plerumque post saeculum VII. In Polyglottis Parisiensibus et Londinensibus integrum N. T. ex graeco textu derivatum Arabice sistitur ex antiqua Romana editione an. 1390 cum multis tamen correctionibus; quo autem tempore, aut quibus auctoribus haec versio confecta fuerit valde incertum est. - Altera versio N. T. (Actorum et Epistolarum edita) fuit ab Erpenio an. 1616. - Aliae etiam innotuerunt versiones Arabicae in variis mundi partibus ab Arabibus olim occupatis confectae, quarum nonnullae nondum praelo submissae sunt. Speciatim vero memoranda est Arabica versio Romae vulgata ex antiquis codicibus iussu S. Congregationis de Propaganda Fide an. 1671. Hanc editionem curavit Sergius Rius, qui ex plurimorum codicum collatione eam expressit, lacunas autem supplevit ex textu originali et Vulgata latina.

Quare in Arabicis versionibus, ut patet, magna est varietas, nec minor confusio. Eam tamen quam Orientales quaedam Ecclesiae Orthodoxae, ut Graeci Melchitae, in ecclesiasticis usibus adhibent, fideliter sacros libros repraesentare ex ipsa Romanae Sedis

approbatione certum est. Caeterum Arabicae versiones praesertim N. T. vel quia recentes admodum sunt, vel quia de earum origine non constat, vel quia iterum atque iterum iuxta alias versiones Syriacam, Copticam et Latinam refictae sunt, in critica Biblica vix ullum habent valorem.

Haec sufficiant de antiquis versionibus N. T. sive Occidentalibus, sive Orientalibus. Caetera quae ad antiquas versiones pertinent dicemus in Sectione sequenti, ubi de Veteris Testamenti integritate sermo erit. Ibi etiam nonnulla addemus de Biblii Polyglottis, quae plures huiusmodi versiones simul collectas et iuxta positas lectoribus sistunt.

Hic locus esset de *vernaculis*, seu *recentioribus* versionibus dicendi. Verum in animo est de his plura dicere in Hermeneutica Biblica, ubi de sacrae Scripturae lectione in lingua vulgari, et de varia in hac re Ecclesiae disciplina disseremus. Sufficiat interim animadvertere vix ullam nunc extare gentem quae S. S. in sua lingua non habeat; omnes istae versiones nullum criticum habent valorem: earum tamen puritas et fidelitas diiudicanda est tum ab intrinseco, spectata scilicet eius conformitate cum textu originali vel cum Vulgata latina, tum praecipue ex tacita vel expressa S. Sedis approbatione. Ita ex. gr. versio Italica illius A. Martini, et versio Hispanica P. Philippi Scio tacite approbatae sunt missis a Romano Pontifice Pio VI ad auctores honorificis literis; Germanica vero confecta a I. F. Allioli, et Polonica P. Wuljek specialibus Brevibus Pontificiis probatae fuerunt. Plures quoque extant vulgares versiones non solum non probatae sed etiam damnatae, utpote quae ab haereticis hominibus, vel in haereticorum favorem confectae fuerunt ut est apud nos versio Iohannis Diodati et apud Germanos versio Martini Lutheri, et aliae huiusmodi: tales etiam sunt omnes vulgares versiones editae a *Societatibus* protestantibus, quas *Biblicas* vocant, de quibus dicemus in citato loco.

### CAPUT III.

#### DE LIBRORUM N. T. VERACITATE

Demonstrata librorum nostrorum authentia et integritate ad illud nunc accedendum est, quod totius controversiae caput constituit, et ad quod praecedentes quaestiones tamquam ad finem et